DISCURSUS HISTORICUS, DE LAPSU IMPERII ROMANI IN OCCIDENTE, ...

Andreas Loelhoefel, Rothard Vinhagen, Valenti Gonzaga



Σὺν Θεῷ

§. I.

INitiò brevissimè monendum ducimus, qvid per Imperium Romanum in Oriente & Occidente Historici intelligant: qvod ut rectè percipiatur repetendum est memoriâ, qvod ab origine Romanæ Monarchiæ, per C. Jul. Cæsarem constitutæ, per Octavium verò Augustum, post latam legem regiam imprimis firmatæ, usq; ad tempora trium Constantini Magni filiorum, Imperium universum, plurima amplissima regna, & provincias in Europâ, Asiâ, & Africà continens, non fuerit in partes divisum; sed illius administratio vel penes unum, vel penes duos aut plures, qvi tamen idipsum conjunctâ operâ, & ut Collegæ administrarunt, fuerit.

II. Prima amplissimi hujus Imperii divisio facta est ANNO à nato CHRISTO CCC XXXVII à filiis laudatissimi Imperatoris Constantini Magni, ex Faustâ, Maximini Galerii filiâ, susceptis, Constantino, Constante & Constantio. Hos inter divisum fuit Romani Imperii corpus. Distributum autem tunc fuit in duas partes: Occidentem & Orientem. Oriens obtigit Constantio. Occidens iterum in duas partes divisus est, qvarum una Italiam, Africam cùm Insulis, Illyricum, Macedoniam, Græciam continens, Constanti tributa est; altera Galliam, Hispaniam, Britanniam, Orcades, Alpes Cottias, & Thulen complectens, Constantino obtigit.

III. Qvemadmodum autem fieri solet, ut ob summam hominibus innatam regnandi libidinem, interdum Summi etiam Principes suâ sorte non sint contenti, & eâ de causâ non tantum filiorum & Parentum, sed etiam fratrum gratia rara esse soleat,

sic & tribus hisce Constantini Magni filiis usu venit. Primus Constantinus assignatis sibi Imperii partibus non contentus, Fratri Constanti bellum intulit. Pugnatum ad Aquilejam. Constantinus minus in rem suam intentus, equo excussus, confoditur. Constans vero, ita devicto Fratre, omnes ejus Provincias sibi subegit; quæ tamen felicitas ipsi haud constans fuit. Incidit enim miser in suorum Centurionum conspirationem, qui Magnentium quendam Imperatorem crearunt: hic Imperatorem Constantem trucidavit. Supererat tantùm ex Constantini Magni filiis Constantius, ad qvem hæreditatis Jure Fratrum interfectorum provinciæ devolvebantur, hic Magnentium tyrannum delevit, & ita vicissim totius Imperii corpus ad UNUM, Constantium sc. rediit.

IV. Successores hic habuit Julianum, dictum Apostatam, Jovianum s. Jovinianum, Valentinianum & Valentem Fratres, Gratianum & Valentinianum II, & Theodosium I. Post hujus Theodosii Primi tempora, iterum nova & secunda Imperii divisio facta est, qvæ divisio meritò Divisio Imperii Romani consummata dici potest. Nam ut loqvitur Daniel Parëus in Medullà Historiæ Univers. profanæ, hæc Imperia ita distraxit, nunqvam ut deinde sub unius Imperatoris imperio coierint. Igitur hìc perfectam Imperii Romani in Orientale & Occidentale divisionem habemus. Orientale partes Mundi orientales, maximam partem Asiaticas complectebatur: Occidentale partes Mundi occidentales, maximè Europæas cum Africâ continebat. Hujus sedes erat Roma; illius Byzantium seu Constantinopolis, à Constantino M. ad hanc dignitatem evecta.

V. His ita breviter præmissis seqvitur, ut ad propositum nostrum deveniamus, & qvomodo sensim Imperium occidentale s. Europæum labi cœperit, proponamus. Factâ divisione illâ consummata seu secundâ, primus in Oriente regnavit Arcadius, in Occidente Honorius. Hic statim observandum, qvod Oriens illico super Occidentem efflorescere cœperit, habueritq; Imperatores plurimos longâ serie sibi succedentes usq; ad tempora Constantini VII, ultimi Imperatoris Græci, qvibus Constantinopolis à Mahumete Turcorum Tyranno fuit capta, & sic

totum

totum Orientis Imperium ad nominatos modò Turcos transiit. Occidentale autem Imperium, de cujus lapsu & restauratione nobis imprimis sermo est, post secundam illam divisionem, primum, ut dictum, Imperatorem habuit Honorium. Sub primo hoc Imperatore statim adversam fortunam, primamqve ad lapsum occasionem experiri cœpit oriens, qvod ita factum est.

VI. Stilico, natione Vandalus, Vir in Imperio Occidentali summæ autoritatis, qvem Honorii Parens, Theodosius primus, summis beneficiis affecerat, cum qvo etiam ipse Imperator Honorius affinitatem contraxerat, immemor horum beneficiorum omnium, Honorium de Solio Imperatorio deturbare, dignitatemq; summam ad Filium suum Eucherium transferre moliebatur. Hoc ut eò felicius procederet, populares suos Henetos seu Vandalos, & cum illis Suevos, Alanos, Burgundos advocat, & imprimis ad Gallias occupandas occultè prædæ spe sollicitat; ita futurum sperans, ut Honorius in bello illo occumberet, & sic deinde nullo negotio filius Eucherius ad Imperii gubernacula perveniret. Henetorum seu Vandalorum hanc gentem, vatiniano qvod dicitur odio, proseqvebantur Gothi qvi aliqvando finibus suis, qvos ad Vistulam, ubi hodiè Pomerellia, uti Philippus Cluverius vult, antiquitus habuerunt, egressi, integrum ferè Illyricum occupaverant. Hi, irruptione Vandalorum in Gallias auditâ, Duce Rhadagiso, cum exercitu ducentorum millium advolarunt, & omnia inter eundum, in Italiâ præsertim, igni ac ferro miserè vastaverunt: uti cum ex aliis, tum imprimis ex D. Hieronymi Commentario in Sophoniam ad Paulam & Eustochium patet. Sed hujus Rhadagisi exercitus à Consule Romano Stilicone, cujus jam ante mentionem fecimus, partim deletus, partim etiam fame ac siti confectus in Monte Fesulano interiit. Rhadagisus ipse ex fugâ retractus in Romanorum potestatem venit, & tandem vitâ privatus est.

VII. Sed hâc clade non omnino territa est gens Gothica. Nam non longo post tempore Alaricus, ex nobili Balthorum genere oriundus, Rex Gothorum electus, cum exercitu Italiam

 ingres-

ingressus est, & ab Imperatore Honorio sedem poposcit, quam etiam obtinuit, nimirum Gallias. Sed dum Alaricus in itinere in Gallias hæret, Stilico sentiens, Gothos, nihil mali metuentes securos esse, nec eo quo deberent modo castra disposita habere, ipso die paschatis incautos aggreditur. Imprimis autem hâc in re Ministro usus est Saulo qvodam, Judæo: hic qvod religionem Christianam nullius faceret, Gothos festo hocce die invadere non est veritus. Mirabile est, qvod Gothi hi per aliqvod temporis spatium Romanis cesserint, ac perfidi hostis furorem desiturum speraverint. Qvod ipsum tamen cum fieri non sentirent, seqve patientiâ suâ hostem Saulum insaniorem tantum reddere, animadverterent, protenus arma corripuerunt, hosti qvam fortissimè restiterunt, omnemqve ferè exercitum occidione deleverunt. Nec contenti hâc victoriâ, insaniæ qvasi œstro perciti Romam contenderunt, eamqve expugnarunt. Imputatur hoc malum desidiæ Honorii Imperatoris, qvi Ravennæ desidens de auxiliis Urbi ferendis non fuerat solicitus. Narrat Procopius, *cum nunciatum esset Ravennæ Romam perditam esse, credidit ille de catello, velut alii narrant, de pugnaci gallo, cui nomen Romæ indiderat significatum esse, admiratumq; vehementer, tam subito periisse eum, quo cum paulo ante festivissimè luserat.*

VIII. Ita primo sub Honorio miserè laceratum & concussum est Occidentale imperium. Succesit Honorio Valentinianus III, Honorii ex Sorore Placidia nepos: fuit hic Imperator post secundam Imperii divisionem secundus & ferè ultimus. Etiamsi enim nonnulli post Valentinianum, uti Maximus, Avitus, Majoranus, Severus, Anthemius, Olybrius, Glycerius, Jul. Nepos, Orestes, Augustulus Imperatorium nomen usurparint, tamen vix partem exiguam Italiæ de tanto imperio reliquam habuerunt. Sub hoc Valentiniano III, qvod de Imperio occidentali, reliqvum fuit, per incursionem gentium barbararum ferè dilaceratum est. Mali autem causam imprimis præbuerunt dissensiones duorum in Imperio summorum Virorum Bonifacii & Aetii. Hic tenebat Galliam, ille Africam. Accusave-

ſaverat Bonifacium apud Placidiam Aetius, qvi cauſam dicere juſſus, Gensericum Vandalorum Regem in Africam attraxit, hic omnia miſerrimè vaſtavit, Carthaginem dolo cepit, Hipponenſem etiam Urbem, ubi D. Auguſtinus Epiſcopus fuerat, delevit, novumque Wandalorum regnum in Africâ condidit.

IX. Iisdem ferè temporibus etiam Attila Hunnorum Rex, poſtqvam Macedoniam, Myſiam, Achaiam miſerè vaſtaſſet, interfecto fratre Bledâ, etiam ad occidentale imperium invadendum animum adjecit. Hic etſi operâ Theodorici Weſt Gothorum Regis in campis Catalaunicis in Galliis fuſus eſſet; tamen à bello non deſtitit; Sed reverſus Italiam miſerè vaſtavit, Aqvilejam cepit, vixque ab Urbe abſtinuiſſet, niſi precibus Leonis Pontificis qvadantenus fuiſſet delinitus.

X. Hâc ratione Imperium Occidentale cum Valentiniano ferè extinctum eſt. Nam Maximus, Avitus, Majoranus, Severus, Anthemius, Olybrius, Glycerius, Jul. Nepos in Occidente qvidem, partim tyranni, partim Imperatores poſt Valentinianum fuerunt; ſed & hi partim à Vandalis, irruptionem in Italiam ex Africâ facientibus, partim à Richimero Gotho fuerunt deleti. Ultimò ſeu Imperatores ſeu tyranni in Occidente exorti, Oreſtes & Auguſtulus. Sed Odoacer Rugius, qvi aliqvando Oreſtis Armiger fuerat, incitatis prædæ ſpe Herulis, Thuringis & Rugiis, Italiam invaſit, obviam ei procedit Oreſtes. Pugnatur ad Ticinum ſ. Papiam. Oreſtes victus captusqve Placentiam deducitur, ubi inſpectante toto exercitio trucidatus eſt. Auguſtulus fugiens Imperio ſe abdicavit & in Campaniâ privatus vixit. Idem ergò nomen Imperatori primo & ultimo fuit. Romanum ita imperium à Magno Auguſto conſtitutum cum diminutivo Auguſtulo extinctum eſt. Hic finis fuit celeberrimi imperii Occidentalis.

XI. Sic deleto imperio Romano varia nova regna ex ruinâ ejus nata ſunt: Francicum qvod Meroveo Duce, parte Galliæ occupatâ Franci condiderunt, Hiſpanicum à Vandalis conditum, Vandalicum in Africâ, Anglicum &c. de qvibus apud

alios

alios fusissimè differitur. Italiam qvod attinet ubi prisca imperii sedes fuerat, tripliciter ea potissimum ab ultimo imperatore Augustulo usq; ad Imperii Occidentalis à Carolo M. factâ restaurationem administrata est. (1) Odoacer Italiæ Rex ab exercitu proclamatus est, regnūq; per qvatuordecim annos obtinuit (2) regnū Italiæ ad Ostgothos pervênit hâc ratione. Theodoricus Amali, qvi postea Veronensis dictus est, filius Teutomiri, oppressis Attilæ Hunnorum Regis filiis, Zenoni Imperatori Orientis admodum gratus esse cœpit, qvi eum etiam Patricium fecit & Consulem. Demandata ipsi deinde etiam expeditio est contra Odoacrum Rugium eo tempore Italiæ Regem. Abiit ille in Italiam mediâ hyeme. Odoacer de Theodorici adventu certior factus Alpes præsidio munit. Sed aperit eas Theodoricus, Odoacrumqve aliqvot præliis vincit, ipsumqve Ravennæ concludit. Hîc tamen Theodoricus Odoacrum deditionem facere coegit, qvod is hâc conditione fecit, ut simul cum Theodorico in posterum regnaret. Accepit qvidem cognitionem Theodoricus; sed eam non servavit; verùm Odoacrum convivio exceptum, per immissos Suarios trucidavit. Zeno Constantinopolitanus s. Orientalis Imperator suo commodo Theodoricum victorem fuisse autumabat. At Theodoricus sibi belli præmiūm Italiam cupiebat, qvam & per vim obtinuit. Successerunt huic Theodorico in Italiâ deinde aliqvot Regis Gothici: Athalaricus Theodatus, Viriges, Totilas &c.

XII. Etsi autem, ut diximus, Gothi ita Italiam tenebant, tamen Imperatores Constantinopolitani, vix qviescere potuerunt, qvin eam repetere conarentur. Imprimis Justinianus occasione ultionis Amalosunthæ bellum adversus Gothos decrevit, misitqve in Italiam Virum insignem Bellisarium, cui omnia felicissimê processerunt. Siciliam enim, Neapolim, ipsam Romam recuperavit. Felicior adhuc Bellisario fere fuit Narses Eunuchus, hic adeò vires Gothorum attrivit, ut eas nunqvam deinde colligere potuerint. Et hâc ratione etiam Gothicum Imperium in Italiâ finitum est. Extincto hoc Gothico in Italiâ incendio virtute Narsetis, majus deinde Constantinop.

tinop. Imperatoribus in Italiâ ortum est. Habuerat Narses in Exercitu suo Longobardos, à longis bipennibus, quibus utebantur, ita dictos, populum Germaniæ, cujus sedes olim loca, ubi nunc media Marchia, Die Mittel Märcker: Hi confecto feliciter bello Gothico, à Narsete dimissi, iterum ab eo in Italiam revocati sunt: ad quod faciendum contumeliosa Sophiæ Augustæ, Justini Imperatoris, Uxoris, verba cū impulerunt. Notabile est, quod cum Augusta reverti eum contumeliosè jussisset ad fila in gynæceo trahenda, dixisse feratur: *si orsurum esse telam, quam mulier superba non esset pertexitura.* Venerunt ergò Longobardi in Italiam, sedemq; novi regni constituerunt, & quidem illis in locis, ubi olim Gallia cisalpina, hodiè verò Lombardia, quæ mari Ligustico & alpibus concluditur. Hoc in loco per ducentos annos ordine Longobardici Reges regnarunt; Alboinus, Clepses, Autarus, Egilolphus, Adoaldus &c.

XIII. Etsi autem Longobardi ita suum in Italiâ regnum habuerunt; tamen Constantinopolitani Imperatores aliquam adhuc ibi potestatem retinuerunt, in partibus illis, quibus suos Exarchos præfecerunt. Fuerunt enim Exarchi præfecti Imperatorum Constantinopolitanorum. Sedes eorum fuit Ravenna. Sed & hic Exarchatus tandem deletus fuit ab Astaulpho Longobardorum Rege. Ita vicissim omnis Romanorum potestas in Italiâ desiit, & ita totam Longobardi obtinuerunt.

XIV. Hactenus vidimus, quomodo non tantum Italia, sed & totus Occidens ab Imperatorib. Romanis fuerit avulsus. Jam progredimur ad alterum discursus nostri historici membrum, nimirum ad ejusdem Imperii Romani in Occidente restaurationem, quæ hâc ratione facta est. Desiderius ultimus Longobardorum in Italiâ Rex fuit; hic cum conditiones initas non servaret; sed expugnatâ Ravennâ Romam versus exercitum duceret, Papa Romanus Hadrianus Carolum Francorum Regem advocavit, à quo Desiderius victus & ita Longobardicum regnum finitum & Italia ad Carolum translata est.

XV. In hâc translationis historiâ imprimis hoc observa-

tionem meretur, quâ ratione scil. cum Italiâ etiam dignitas Imperatoria ad Carolum devenerit. Si Romanenses seu Pontificios Scriptores, Bellarminum, Baronium &c. & alios evolvimus, omnes eos in hâc sententiâ esse invenimus: Papam scilicet Leonem III. Carolo Magno, postquam is, Desiderio Longobardo devicto, Romam venisset, suâ autoritate dignitatem Imperatoris Romani contulisse & confirmasse. At (1) testatur Sigebertus historicus, Cives Romanos, ubi eorum Urbem ingressus fuerat Carolus, unanimi voce ipsi detulisse Imperium his verbis: CAROLO AUGUSTO *à Deo coronato, Magno & piissimo Romanorum Imperatori vita & victoria*. Confirmat hoc imprudens quidam Scriptor Pontificius, dum, Romani omnes, inquit, uno ore Carolo Regi laudes Imperatorias acclamant, eumq; per manus Leonis Pontificis coronant. Quis hoc Imperii Axioma tribuit Carolo? Romani. Cujus ministerio usi sunt? Papæ. Quod autem per alium quis facit, annon ipse facere videtur? Eat nunc Jesuita, inquit Matthæus Dresserus in Isag hist. Mill. 5, p. 397, & ex ministro coronationis Dominum faciat. Concedimus libenter, quod Papæ ministerio Romani usi fuerint. Adfuit enim Papæ, cum Carolus festo nativitatis CHRISTI Basilicam Vaticanam ingressus fuisset, eiq; chlamydem Augustalem & coronam auream pretiosissimam imposuit. (2) Negamus quod translatio hæc per Papam facta sit; quia certum est, neminem in alium transferre posse, quod ipse non habeat. Nisi ergò demonstrent Pontificii, jus potestatemq; Imperii Romani penes Pontificem Romanum vel esse vel fuisse, seu Pontificem Romanum autoritatem transferendi regna à Deo accepisse, in eorum sententiam nunquam descendemus. Quandoquidem verò à Dominis Theologis de potestate Papæ sufficienter agitur, nolumus in alienam messem falcem nostram immittere; sed tantùm nonnulla ex historiâ breviter eâ de re proponemus. Antiqua autem jam hæc est cantilena & priscis temporibus jam ventilata disputatio: an omnia imperia & regna à Pontifice Romano dependeant. Disputatum fuit eâ de re jam inter fortissimum Principem Impe-

rato-

ratorem Fridericum Oenobarbum seu Barbarossam, & Hadrianum Pontificem Romanum, & tandem communi Procerum imperii consensu definitum, uti ex Otthone Frisingensi, late ac eleganter refert Christophorus Leheman in Chronico Spirensi, quæ definitio postea Ludovici IV generali constitutione Coloniæ promulgata Anno 1338 & hoc habet: Imperium à solo Deo pendere, nihil ad hoc Papam conferre præter solum titulum, quem quilibet catholicus Antistes conferre possit. Electionem esse à Septemviris, vacante imperio non ad Papam id devolvi; sed ejus administrationem Rheni Palatino deberi &c. Qvi aliter docuerit, ejum Majestatis reum & detestabilem esse. Videsis Jacobum Revium in vitâ Papæ Benedicti XII & Dn. Theodor. Reinking tract. de reg. secul libr. 1 class. 2. c. 4. §. 1, 1, 3, &c. Idem Dn. Reinking refert ex Bodino de regno Galliæ, qvod scil. in eo etiam huic temeritati Papæ, publico Scto obviam itum fuerit. Qvare Bonifacio VIII scribenti ad Philippum pulchrum Galliæ Regem: Scire te volumus, qvod in temporalibus & spiritualibus nobis subes, Rex jure respondit: Sciat tua magna fatuitas, in temporalibus nos nemini subesse &c. Vid. idem ibidem. Ex his omnibus patet, qvod nullum Imperium à Papâ dependeat & per conseqvens nec Imperium Romanum.

XVI. Sed qværitur tandem, si à Papâ jus Imperatorium ad Carolum non translatum, cujus tandem autoritate & quo jure id factum sit. Respondemus. (1) Jure belli Carolus Imperium Occidentis accepit. Devicit enim Desiderium, ultimum Longobardorum Regem, ut supra indicatum (2) Accessit consensus Irenes Imperatricis Constantinopolitanæ, quæ totum imperium, & jus qvod ipsa in Occidentem habebat, Carolo contulit. (3) Cum Irene Augusta à Nicephoro, Patricio comprehensa, & in Lesbum relegata esset, inter ipsum Nicephorum & Carolum, transactiones eâ de re factæ sunt, qvemadmodum Rhegino & alii testantur. (4) Cum Nicephorus Imperator in prælio contra Bulgaros trucidatus esset, tandem pax confirmata est inter Michaelem Imperatorem & Carolum. Ex qvibus omnibus li-

bus liqvidò apparet, conventione factâ Constantinopolitanos Imperatores ultrò cessisse Occidentis Imperio, idqve ad Carolum transtulisse. Qvi plura hâc de re legere velint adire possunt Marsilium Patavinum, Dantem Aligerium Florentinum, Radulphum de Columnâ, Jordanum, Leopoldum de Babenberg, qvi hâc de re ex professo scripserunt.

XVII. Hac ratione ergò vidimus, qvomodo Imperii jus ad Carolum Magnum devenerit, qvem summum Heroa procul dubio Deus excitavit, ut collapsam in Occidente relligionem, justitiam, disciplinam, pacem, autoritatem, doctrinam, dignitatem instauraret, (inqvit Matth. Dress.) & inustam à barbaria Imperio Romano notam sempiternam deleret, dignitatemqve Romani Imperii, ad æternam Germanicæ Nationis laudem ad Germanos transferret, qvod à Carolo factum esse, nemo negare potest. Fuit enim Carolus Germanus, non Gallus, ut Joh. Bodinus ineptit. Natus fuit in Arce Carlsberg supra Monachum, ut Aventinus scribit, vel certè in villâ Ingelheim, duobus millib. passuum à Moguntiâ distante, ut thesaurus Antiq. habet. Successerunt huic Carolo Magno longâ serie filii & nepotes Imperatores Germani: Ludovicus Lotharius &c. usque ad Ludovicum IV. Arnulph. filium inclusivè, in qvo stirps Carolina desiit & Imperium ad Conradum Franconiæ Ducem devolutum est.

Tantum.

QUi qvondam commune bonum firmare laborat
quid memorata ferant prisca, notare velit.
Cognitio Historiæ quam plurima commoda præstat
Hanc oculum cauti dicere jure queo.
Hæc bene perpendis, VINHAGEN, dulcis Amice,
Hinc studium hoc summâ sedulitate colis.
Quod captum, porro stadium decurrere perge,
Sic quondam prudens, sic oculatus eris.

M. ANDR. LÖLHEWEL.

FINIS.

